



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

LXXVI. Das Kloster zu Uelsen vergleicht sich mit dem Kloster Diesdorf wegen einer streitigen Hebung, ungefähr um das Jahr 1360.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54934)

luminaria dicti officii augmentanda perpetuis temporibus procurabit in remedium animarum et omnium fidelium defunctorum pro quibus tale testamentum est positum perpetuis temporibus duraturum. Preterea Margaretha de Luneburg ademit de eadem villa vnam marcā denariorum eidem officio corporis Christi, sed ut ea debet temporibus sue vite et post obitum dicte Margarethe de dicta marca denariorum duo talenta . . . spectabunt annuatim in honorem B. Johannis Evangeliste, ceterum autem ad luminare dominicis diebus perpetuo commanebit. Etiam Alheidis de Dannenberghe pie memorie sepedito officio ademit in sepe dicta villa unam marcā denariorum pro X marcis Luneburgensium denariorum in honorem corporis Christi et ad luminaria confirmanda et per administratorem officii jam dicti omnibus quintis feriis in anno occurrentibus lumen ardere disposuit perpetuis temporibus duraturum. Item Hereke et Alheidis supra dicte sorores Godele et . . . sorores, filie Johannis Bocmaft, ademerunt de eadem villa unam marcā denariorum pro X marcis Luneburg. denariorum eidem officio sepe repetito sed, uti ea debeant propter beneficium emptionis temporibus sue vite, ultra super vivens in toto sicut omnes, et post obitum officio predicto ad luminaria augmentanda perpetuo commanebit. In testimonium hujus facti ut fidelius et diligentius seruetur huic litere sigillum prepositure et conventus duximus apponendum. Datum anno domini M^o. CCC^o. sexagesimo, in die Johannis Baptiste natiuitatis.

Gerden's Dipl. II, 224—226.

LXXVI. Das Kloster zu Ueffen vergleicht sich mit dem Kloster Diesdorf wegen einer streitigen Hebung, ungefähr um das Jahr 1360.

Nos Ludolphus de Marenholte abbas, Fredericus prior totusque conventus monasterii S. Johannis Baptiste in veteri Ueffen ordinis S. Benedicti Verdenſis dyocesis recognoscimus presentibus publice protestando, quod causam totalem, quam coram honorabili viro domino Thiderico, Decano ecclesie Lubicensis, iudice a sede apostolica subdelegato, instauravimus intentando contra honorabilem virum dominum Johannem de Buc prepositum electum in Dystorpe ac religiosas dominas Elyzabeth priorissam ac conventum sanctimonialium monasterii B. Marie virginis ibidem ordinis B. Augustini ejusdem dyocesis super una marca denariorum nobis nomine pensionis seu annuorum reddituum per eos exsolvenda et per tempora aliquot detenta predicti domini iudicio etiam suo firmato, una cum ipsis compromissimus vallato arbitrio in viros prudentes dominos Harneidum de Marnholte, Sacristam dicti monasterii nostri, ac Johannem de Othernshufen, rectorem ecclesie in Vallerfleuen Halberstad. dyocesis, qui concorditer diffiniuerunt quod sopita omni controuersia predicta occasione dicte pensionis debite seu retente et etiam expensarum dampni seu interesse inter nos et dictum monasterium in Dystorpe jam mota et in perpetuum mouenda, dictus dominus Johannes de Buc dicti monasterii nomine nobis decem et septem Marcas denariorum in prompto numeravit ad similem pensionem quam petuimus nostro monasterio comparandam. Propter quod ipsum monasterium in Dystorpe a dicta annua pensione unius marce denariorum cum omni debito retento ac ab expensis ob hoc factis dampno seu interesse nobis contingentibus supportamus renuntiamusque pro nobis et nostris in per-

petuum successoribus omni juri et actioni, quæ nobis quomodolibet competere videbantur erga premissa seu quodlibet premissorum. In cujus rei evidentiam et testimonium perpetuum prefens scriptum super hoc confectum Nos Ludolfus abbas prenotatus nostro sigillo proprio una cum conventus nostri predicti sigillo patenter appensis dignum duximus sigillandum.

Gercken's Dipl. II, 226—228.

LXXVII. Die Familie Bokmaß überläßt dem Kloster Diesdorf ihre Besitzungen in Döhre, am 2. Februar 1362.

Nos Thidericus et Vlricus, fratres, filii quonam domini Alberti militis, dicti Bokmaß, Johannes et Ernestus, filii Thiderici iam dicti, ad universorum presentes litteras intuentium notitiam cupimus lucide peruenire, quod cum pleno consensu et voluntate omnium nostrorum heredum et amicorum, quorum interest vel interesse poterit in futurum, iuste vendicionis titulo vendidimus per presentes Preposito, Priorisse totique conventui sanctimonialium monasterii in Distorp omnia bona nostra, que habuimus in villa Döhre cum omnibus et singulis redditibus suis et prouentibus uniuersis, cum aduocacia nec non cum omni iure supremo et infimo ac seruitio reali et corporali in agris, pratis, pascuis, siluis, in omnibus et singulis bonis attinentiis, quæmadmodum ipsa ex patre nostro usque in hodiernum diem habuimus et possedimus pacifice quiete et sine omni perturbatione et offensa, perpetuis temporibus possidenda, pro trecentis marcis denariorum Lüneburgensium minus decem et octo denariorum marci denariorum persolutis, que soluent annuatim in certis redditibus XXX et septem quartalia filiginis, triginta et septem solidos denariorum Lüneburgensium, centum et sex pullos fumigales. Volumus etiam in vera fide nostra appropriationem prefatum bonorum et suorum reddituum, prouentuum et attinentium omnium sub nostris expensis et laboribus infra duos annos subsequentes a festo purificationis S. Marie nunc instante ordinare, quod promittimus per presentes. Item volumus et debemus prestare prefatis preposito, priorisse ac conventui veram warandiam ipsorum bonorum, ubicunque vel a quibuscunque eis necessarium fuerit, et precipue pre omnibus, qui sunt de genere illorum de Döhre, iam actu uidentes et qui in futurum poterint generari. Addicimus etiam, quod si sepedicti prouisores claustrum aliquem defectum quod absit, sustinerent in aliquo premissorum, et nos prouide moneremur, ex tunc infra quatuor septimanas dictam monitionem immediate subsequentes una cum fideiussoribus nostris infra scriptis oppidum Vilefen ibi ad iacendum intrabimus, inde non exituri, nec pernoctaturi, nisi tali defectu integraliter suppleta et de premissorum vel restitutione denariorum prefate vendicionis bona fuerit voluntate. Et nos dominus Ludolfus miles antiquior de Knefebecke, Johannes famulus de Knefebecke, Wafmodus de Medinghe, Hinricus dictus Ottersleue, Ludolfus dictus Grope, Johannes dictus Sporecke publice profiteamur, quod pro et cum Thiderico, Vlrico fratribus, Johanne et Ernesto sepedictis et eorum heredibus predictis data fide, coniuncta manu promittimus predicto Monasterio, preposito et priorisse ac conventui omnia predicta inuolabiliter obseruare, quod sub appensione sigillorum nostrorum, una cum sigillis Thiderici et Vlrici fratrum, Johannis et